

**Zeitschrift:** Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany

**Band:** 30 (1975)

**Heft:** 2

**Artikel:** Ocotea budowskiana species nova, additis notulis ad Lauraceas americanas nonnullas

**Autor:** Bernardi, Luciano

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-880249>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 16.10.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

# Ocotea budowskiana species nova, additis notulis ad Lauraceas americanas nonnullas

LUCIANO BERNARDI felsineus

## Résumé

Bernardi, L. (1975). *Ocotea budowskiana* sp. nova, et quelques notes supplémentaires sur des Lauracées américaines. *Candollea* 30: 255-261. En latin; résumé anglais.

Description d'une espèce nouvelle, proche de l'*Ocotea cordata* (Meissn.) Mez, trouvée par Steyermark au Vénézuéla, Meseta del Jaua. L'auteur insiste sur l'importance des caractères floraux pour la classification générique des Lauracées, et mentionne la ressemblance frappante de l'*Aiouea perrobusta* C. K. Allen (décrit sur du matériel en fruits) avec l'*Ocotea ira* Mez & Pittier. L'*Ocotea steyermarkiana* C. K. Allen est mis en synonymie sous l'*O. ferruginea* Mez, lectotypifié par cette occasion.

## Abstract

Bernardi, L. (1975). *Ocotea budowskiana* sp. nova, and a few additional notes on American Lauraceae. *Candollea* 30: 255-261. In Latin; French abstract.

Description of a new species, related to *Ocotea cordata* (Meissn.) Mez, gathered by Steyermark in Venezuela, Meseta del Jaua. The author stresses the importance of flower characters for generic classification in *Lauraceae*, and the striking similarity between *Aiouea perrobusta* C. K. Allen (described on fruiting material) and *Ocotea ira* Mez & Pittier. *Ocotea steyermarkiana* C. K. Allen is reduced to synonymy under *O. ferruginea* Mez, which is at the same time lectotypified.

Specimina *Lauracearum* anno praeterito lecta misit mihi determinationis causa clarus, indefessus, maximus inter lectores plantarum Americae — legit quidem, vir mirabilis, ad hodie plusquam 110 000 specimina praecipua silvana — nec non fecundissimus scriptor de floris Americae (forsitan ad diem edidit plusquam 10 000 paginas botanices systematicae), Julianus A. Steyermark. Pugillus tantum *Lauracearum* inveniebatur ab eo viro et comitibus in exploratione montium tabularium hac dictione: “Mesetas del Jaua, de Sarisariñama, de Guanacoco”, ad meridiem regionis (= estado) Bolivar, Venezuelae. Pluria horum speciminum sterilia vel tantum fructifera adsunt, quare determinationes infidae fiunt.

A familia *Lauri* ex nonnullis annis, non mea sponte, separatus, paucis specimenibus ex una regione fruens, solum mihi sinitur minima dicere. Tria specimina — mea ratione — speciem novam constituunt, sic nuncupata:

**Ocotea budowskiana** Bernardi, sp. nova (fig. 1).

**Typus:** *Steyermak & al. 109330* (G).

Frutex erectus vel arbuscula montana vix 3 m alta; ramuli teretes, leves et lucidi, in sicco atro-fusci, sat graciles, parum lenticellati. Folia, more generico, alterna, solemniter obovata, glaberrima, valde coriacea, basi cordata, brevissime petiolata fere sessilia, 10-14 cm longa, 3-6 cm lata, in sicco concoloria, in vivo — fide collectore — pallidiora subtus. Costa lata sed superne vix prominula, inferne plana; nervi laterales inconspicui, arcuato-ascendentes, graciles et alterni, 4-5 pro latere; reticulum obsoletum. Lamina superne nonnumquam creberrime atropunctulata (in typo et in n. 109560; in n. 109117 puncti desunt). Inflorescentiae graciles, assurgentes, glabrae, paniculatae, ut constat e typo, pauciflorae, in sicco atrofuscae, 5-7 cm longae, 2-3 cm latae, ferunt flores tantum superne; rachide angulato-compressâ. Pedicelli etiam in sicco sulcati, 2-3 mm longi, crassiores sensim ad apicem in receptaculum desinentes. Flores polliniferi, limbis ovato-triangularibus, 1.5 mm altis, 1 mm latis. Stamina externa (6) fere sessilia, filamentis brevissimis planoque, apice truncato, locellis omnibus introrsis; stamina interna (3) glandulis binis sessilibus, crassis praedita, apice crassiore et truncato, locellis superioribus aliquantum lateralibus. Gynoecium rudimentarium, ut conspicitur in typo, sterile. Fructus (ex notula clari J. A. Steyermak in n. 109117) cupula obscure-viridis, squamata ("scaly"), ceterum mihi ignotus.

*Specimina visa* (fig. 2)

"Arbuscula 2.5 metralis, rachide erecta fusco-rubra, una cum receptaculo. Folia valde coriacea, intense viridia superne, clariora inferne. Venezuela, Estado Bolivar, Meseta del Jaua, cerro Jaua, cumbre; lat.: 4° 48' 50" N.; long. 64° 34' 10" W.; porción sur-oeste. Selva de galeria al borde del tributario del rio Marajano, 1750-1800 m alt.", 22-28.2.1974, *Steyermak, Carreño Espinoza & Brewer Carias 109330* (G, VEN). "Tree 3 m tall; leaves stiff-coriaceous, deep green above with cellular fine reticulation above, paler green below; fruiting peduncle erect, it and cup deep green, scaly; wood spicy fragrant as are leaves. Meseta del Jaua, Cerro Sarisariñama, cumbre; lat. 4° 41' 40" N.; long. 64° 13' 20" W.; porción nord-est, formación de bosque achaparrado y arboles enanos, 1410 m alt.", 10.2.1974, *Steyermak & al. 109117* (G, VEN). "Simple-stemmed tree 1.5 m tall; around summit of promontory Meseta del Jaua, cerro Jaua, cumbre; lat. 4° 47' 22" N.; long. 64° 33' 35" W.; porción sur-oeste, cresta de promontorio con sabana y bosque enano, 2228-2250 m alt.", 27.2.1974 *Steyermak & al. 109560* (VEN).

*Observationes*

Species *Ocoteae* foliis sessilibus vel subsessilibus atque basi cordata vel cordato-auriculata rariores describebantur per annos. Nunc meae notitiae tantum obveniunt: *O. calophylla*; *O. cordata*; *O. guianensis*; *O. hueckii*; *O. karsteniana*; *O. nummularia* atque ex regione proxima meae speciei: *O. basirecurva* C. K. Allen (ex regione venezuelana Rio Manapiare; cf. Mem. New York Bot. Gard. 10/5: 88.




Fig. 1. — *Ocotea budowskiana* Bernardi: a, ramulus typicus florifer; b, flos integer; c, flos perianthio absciso, cum staminum exteriorum facie ventrali et dorsali; d, flos staminibus exterioribus abscisis: glandulae crassae acutiusculae observandae; e, verticillus staminum interiorum et stamen ex dorso; f, gynoecium partim in receptaculo mersum et a staminodiis cinctum; g, gynoecium. (Ad specimen holotypicum delineavit d<sup>lla</sup> L. Guibentif).




Fig. 2. – Regio montana Venezuelae australis ubi *Ocotea budowskiana* inveniebatur.




Fig. 3. — a, *Ocotea ira* Mez & Pittier; b, *Aiouea perrobusta* C. K. Allen. Delineatio similitudinem magnam speciminum tantum fructiferorum offert, fallacem ad genus tribuendum! (L. Guibentif del.).

1964). Affinior mihi videtur *Ocotea budowskiana*, *Ocoteae cordatae* (Meissn.) Mez et *O. nummulariae* (Meissn.) Mez quam *Ocoteae basirecurvae*. Hanc dominilla Allen describebat ex uno specimine tantum fructifero, baccis ineuntibus sed grandiusculis cupula a limbis perianthii persistentibus confecta. *Ocotea budowskiana*, contra, ex notulis pro ut specimine typico et *Steiermark 109117*, tacite dicitur cupula plana praedita; ac cum n. *109117* accepi fructus fragmen (pedicello et receptaculo) sat miserum, sed cupulam integram ostentans; ceterum — et majoris momenti! — duae species sic differunt:

*Ocotea budowskiana*

Folia obovata, emarginata,  
reticulo venularum obsolete,  
4-5 nervis pro latere,  
13 cm ut summum longa, 6 cm lata,  
ramuli teretes.

*Ocotea basirecurva*

Folia late elliptica, apice breviter acuto,  
reticulo venularum sat conspicuo,  
8-10 nervis pro latere,  
18-10 cm et ultra longa, 10 cm lata,  
ramuli sulcato-compressi.

Denique, liceat mihi addere: specimina *Lauracearum* fructifera semper ambigue infideque situs in quodam genere mereunt. Hoc dominilla Allen bene consignavit, ad conclusionem ejus speciei (l.c.) “Just possibly this may be later assigned to another genus”: ipsa dixit! Flores in hac familia, et ii solum, dubia systematis dispergunt, et hoc remotissime ab modo *Araliacearum* ubi flores parviusculi momenti, folia et fructus maximi pretii ad genera firmiter condenda sunt!

Alterum exemplum laurinum praestabo: *Aiouea perrobusta* C. K. Allen, exponitur (cf. *Acta Bot. Venez.* 2/5-8: 209. 1967) floribus destituta, cupula limbis perianthii confecta: a clarâ auctore dicitur similis *Aioueae costaricensi* (Mez) Kosterm. Mea opinione, tamen etiam simillima *Ocoteae irae* Mez & Pittier, ex eadem regione, ita ut statuit lauriger Kostermans (cf. *Meded. Bot. Mus. Rijks Univ. Utrecht* 46: 73. 1938) his verbis (l.c.: 75) “The species [= *A. costaricensis*] shows a striking likeness with *Ocotea ira...*”: quae limbis perianthii persistentibus in cupula praedita est. Vide fig. 3.

*Nuncupationis causa*

Gerardo Budowski, civi Venezuelae, nato Berolini 10 junio 1925, qui silvas praecipue americanas sagaciter noscit, et unus inter dendrologos — mea notione — procul ab arboribus: forma comae, colore corticis vel “quidquid” haud cum verbis dicibile, ad familiam vel ad genus istam at illam arborem absque errore tribuit, hanc speciem arboream et venezuelanam laetus dedico.

Stirps hominum hodierna, avidissima, creberrima atque vastatrix omnium rerum naturalium invicta videretur, nisi rari at pertinaces viri bonae voluntatis pro naturae defensiones adessent: inter principes eorumdem Gerardus praestantissimus conspicitur, ut rector generalis IUCN (= IUCN, id est: Unio conservationis naturae et rerum naturalium) in civitate Morgiâ (Morges) Helvetiae ab anno 1969.

Quoad cetera specimina a me determinata, misi catalogum d. *Steiermark* qui mox editor una cum omnibus plantis inventis illa expeditione erit in quodam fasciculo Venezuelae. Mihi liceat tantum hoc praemittere:

*Steiermark 109118* (cerro Sarisariñama, 1400 m alt., 16-18.2.1974: specimen sterile) comparavi et cum speciminibus: *Steiermark 93476* et *93935* (Auyan-Tepui,

7 et 15.5.1964) quae dicuntur *Ocotea steyermarkiana* C. K. Allen et cum illis in Genavae herbario servatis ab optimo C. Mez "*Ocotea ferruginea*" nuncupatis (vide Mez, Lauraceae Americanae: 265. 1889: lectotypus *Mathews 1429*): omnia — assevero — unam speciem constituunt et valde coherentem characteribus angustae variationis. *Ocotea ferruginea* Mez, igitur, auctâ synonymiâ *Ocoteae steyermarkianae* C. K. Allen a me proponitur.



